

1510

*Gradonicus  
Ferrarien-  
sum copias  
proficat.*

certior factus, ante lucem cum equitatu & peditatu oppido egressus Epirotas aliquot præmisit, qui hostes velle aggredi simularent, lenteque revertentes eo traherent, ut æquo loco prælium committi posset. Hostes Epirotis visis in eos impetum fecerunt. Illi, ut erat eis imperatum, paulatim recedentes in nostri agminis conspectum eos perduxerunt. Legatus cohortatus suos pugnæ signum dedit: neque hostes sibi defuerunt. concursum est ab utrisque ita acriter, ut pugna diu anceps atque ambigua fuerit: tandem hostes fessi repelluntur, seque ad pagum munitio-nesque suas recipiunt. Nostri hostium regressu incitatores facti, cum aliquandiu ante vallum pugnavissent, munitionem perfregerunt, eosque in fugam omnibus a partibus dederunt. quos Epirotæ consecuti plerosque interfecerunt: equites utriusque armaturæ circiter nonaginta cum eorum præfecto captivos fecerunt. Capti quoque sunt eodem tempore in Veronensium finibus Sequani equites non sane pauci, cum tamen illi etiam Epirotas duodenos temere a reliquis digressos quodam in pago dormientes item cepissent. captusque paulo post una cum viginti ex ejus turma præfetus equitum Gallorum Cleta, qui Maximiliani auxilio Veronam venerat, ad urbemque missus.

Julius autem Pontifex Maximus ubi a republica omnibus suis postulatis satis esse factum cognovit, legatis, qui quidem erant quinque (nam Pisanus paulo ante morbo implicitus mortem obierat) ad sacra, quæ se præsente fiebant, atque ad pedis osculum admissis, magna populi Romani frequentia interdictum abrogavit, deque eo literas ad omnes reges dedit. Quibus rebus cognitis, supplicatio a Patribus est indicta, gratiæque diis immortalibus omnibus in templis actæ. Paucisque post diebus Hieronymo Donato apud Julium manere jusso, qui legationem exercebat, cæteri legati pedibus Anconam profecti, reliquo itinere in longis navibus, quas Patres ad eos sublevandos eo miserant, confecto domum redierunt. Diebusque æque post paucis cives ii Veneti, qui belli initio in Flaminia contra fidem datam capti, atque in Romanos fines perdu-  
cti,

*Julius in-  
terdictum  
abrogat  
VI. kal.  
mart.*